

aus: idque tam certa quam plana et perspicua emendatione: Ὅτ' ἐγὼ νέων ὄμιλον Ἐσορῶ, πάρεσιν ἤβα.

Ibid. v. 6. Παράδος, θέλω σέφεσθαι] Ille idem legit: ῥάδα δὸς, θέλω σέφεσθαι. commode et vere. Cum autem postulat, ῥοιὰν ἀπὸ Διονυσίας ὀπώρας sibi dari; caue credas intelligi de vino; quod credit tamen Henr. Stephanus, cum scribit: *Propere mihi Lyaei Ades afferens liquorem.* Immo de malo Punico accipe. valet enim ad compescendam nauiseam. Quod autem ὀπώρας Διονυσίας meminit; id eo factum est, quod varii fructus simul in eundem fasciculum colligati, inter quos mala quoque Punica erant, Baccho consecrabantur etc.

Ode LV. v. 1. ἐν ἰσχυροῖς] Hoc vnum Odarium inter tot alia, quae pessimae notae esse ostendi, spurium esse Henr. Stephanus putavit. neque tamen ullam rationem addidit. Versus certe absolutissimi sunt, nec quicquam in iis est contra Hellenismum. At ego vnico argumento probabo, quod ille non probavit. Parthi scilicet, quorum in hocce Odario mentio est, Anacreontis tempore nondum noti erant; quod certissima veteris historiae fide nititur. Caeterum de Coppata equo, et Samphora, legi possunt, quae in Schol. Aristophanis tradita sunt. Legendus et Vossius in Opere maiori de Grammatica Latina, et Scaliger in Animaduersionibus Eusebianis.

IN FRAGMENTA

Ἀραπέτας χρυσὸς] Allusio est ad seruos fugitiuos. Sciunt autem, qui veteris historiae non plane imperiti sunt, *Chrysum*, et *Chrysidem*, *Chrysalum*, et *Chrysalidem*, seruulorum et ancillarum nomina esse.